

R V S S I A.

RVSSIAE seu MOSCOVIAE regiones amplissimæ sunt. Eius omnia, ciuitates, oppida, arces, pagi, sylua, agri, lacus, flumina, vnius Principis, quem incolæ magnum Cz. id est Regem seu Imperatorem vocant, imperio & nutui subfunt, & quidquid singula commodi ferunt, in vnius Principis fiscum congerunt. Duces ac Comites, qui dominum vtile in bonis feudalibus liberum possideant, & ad hæredes eadem transmittant, nulli sunt. Addicit quidem pagos & agros nonnullis, sed rusticorum operis nihilominus vtitur, & rursum cum liber adimit: adeo vt absolutum in subditos omnium rerum imperium habeat, & vicissim tanquam Deus à subditis colatur, eique obedientia omnibus in rebus, absque vlla recusatione præstetur. Gubernationis negocia & iustitiæ administrationem, per duodecim Consiliarios assidue in aula præfentes obit. In hos, præfecturæ arcium & ciuitatum in toto Mosci imperio distributæ sunt: qui literas & libellos supplices Principi inscriptos accipiunt, eiusdemq; nomine respondent: Princeps enim ipse nullas epistolas accipit, nec vllis ad subditos suos, vel alios etiam Principes fere literis, manu sua subscribit.

Episcopi ex monachis (quorum monasteria frequentissima in Mosci Imperio, omnia tamen eiusdem vestitus & ordinis, cuius D. Basilium autorem referunt) velut sanctioris vitæ hominibus, deliguntur, & sunt in vniuerso Moscorum Imperio vndecim, quos Vladiceas illi, id est, œconomos & dispensatores sua lingua nominant. Sacerdotes vero seu Presbyteros, Poppos & Archipoppos; Horum metropolita (qui à Constantinopolitano Patriarcha olim confirmabatur, nunc à solo magno Duce delectus per duos aut tres Episcopos consecratur, ac cum liber Principi remouetur) Mosquæ 65:40:55:30. residet. Quæ vrbs Magni Moscouiæ Ducis Regia est. Huic metropolitæ subiecti duo sunt Archiepiscopi, alter Nouogardiæ magnæ ad Lovvtam fl. 57:0:60:18. alter Rostouij 66:47:57:20. Reliquorum octo Episcoporum sedes sunt Smolenka 57:20:55:26. in finibus Lituaniæ, Casanum ad Volgam 80:48:56:20. Tvveria Volgæ adiacet 63:0:56:57. Rezan 68:0:54:40. Susdalia 68:20:57:0. VVologda 68:0:59:57. Columna 66:17:54:47. Cortiza 66:40:54:57. ad Mosquam. Hi, dioceses suas raro aut nunquam ipsi inuisunt, nequam conspirationis cum subditis suspicionem Principi præbeant, sed in monasterijs *ηγουμενισ* seu præpositos, & in oppidis quibusdam laicos, vitam sacerdotum obseruantes, habent. In scholis, legere duntaxat & scribere pueri docentur. Nec academiæ vel collegia in toto Mosci imperio vlla existunt: tum vt hæreseon, quas eruditione præstantes fere excogitant & tuentur, occasiones præcidantur: tum ne Principe ipso sapientior & doctior quisquam videatur. Quem solum omnia, præsertim ad omnium gentium religiones pertinentia, scire, & omnes nodos & difficultates vno verbo posse expedire, subditis persuasum est.

Hæc D. Chytraus.

Medius meridianus. 70. reliqui ad hunc iuxta
rationem 50. & 60. inclinantur.

XXVI





RVSSIA
cum confinijs.

Miliaria
Germanica Communia
15 30 45 60 75

RVSSIAE
PARS
Amplificata

Pontus Euxinus nunc
Mare Maggiore

Meridies

Per Gerardum Mercatorem
Cum Privilegio

